

\* I \* H \* V \* S \*

~~G. H. #.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

W-23.

SIGNAT. CCCXIII.

Einzelne verstreut  
1941.

Stückzettel erled.

Z 336  
Progymnasma Theologicum.

De

# IUDICE CON- TROVERSIARUM FIDEI ET RELIGIONIS CHRISTIA- NÆ SUPREMO

καταφαντὸν καὶ διπολεμονὸν:

An is sit Spiritus Sanctus in Scripturâ lo-  
quens; anverò Papa Romanus;

Quod

Divinâ aspirante gratiâ

In celeberrimâ Academiâ Wittebergenſi

SUB PRÆSIDIO

Admodum Reverendi Clariss. atq; Excellentissimi Viri,

Dn. BALTHASARIS MEISNERI,

S S. Theologiae D. & Profess. Publici, Fautoris, Præ-  
ceptoris ac Promotoris sui æternūm colendi,

Publicè instituit

M. LAURENTIUS ANDREÆ Halâ-Saxo,  
Reverendiss. ac Illustriss. Princ. Magdenb. Alumnus.

Ad diem 19. Octobr. horis matutinis.

In auditorio Majore.

WITTEBERGÆ,

Typis Iohannis Gormanni,

---

ANNO M.DC. XXI.



Nobilissimis, Amplissimis ac Consultissimis

PRUDENTIA,

VIRTUTE,

DOCTRINA

ET  
AUTORITATE

Clarissimis

Spectatissimis

Dn., Dn.

# CONSULIBUS

SYNDICO,

SENATORIBUS,

CAMERARIIS,

Et reliquis

CELEBERRIMÆ HALLENSIUM REIPUBLICÆ

ADSESSORIBUS DIGNISSIMIS.

PATRIBUS PATRIÆ, ET MUSARUM

FAVITORIBUS MAGNIS,

Dominis Patronis ac Promotoribus meis omni  
observantia cultu ac vultu perpetim colendis

Disputationem hanc Theologicam  
offerre voluit, debuit

M. LAURENTIUS ANDREÆ,  
Author & Respond.

XXX. DEC. M. O. M. A.



בְּשָׁמָן-יוֹחָנָן

# THEISIS I.



Uōd maxumā τὸ λόγια τὸ ἡγεῖ Rom 3. 2. autoritatem  
polleant 2. Tim. 3. 16. dignitate itidem summā,  
ἀναντίρρητος eorundem evincunt κέρτησα. Et  
testatur Ipse Deus, quando omnes homines non  
ad Papam & Concilia remittit, sed solum ad legem  
& testimonium Es. 8. 20. jubet scrutari scripturam.  
Joh. 5. 39.

II. Graeca N. T. authentica divini editi vim magis exprimit, quando  
utitur verbo ἐπευνῶν. Quod novisse debebant Jesuitæ, nec stylo ad-  
eò Lycambæo in lypidissimos fontes invehere.

III. Christi namq; mens nō est, quando jubet scrutari Scripturā,  
ut eam leni quis saltim attingat brachio, fugitivo oculo adspiciat,  
sed ut penitus excutiat, immò tantam ad eam tractandam adferat  
diligentiam, quantam solent metallarij in fodendā terra.

IV. Sicut igitur isti in re metallari ( à qua metaphora ista desum-  
ta, ut ex elegantissimis Jobij verbis super hunc locum videre est )  
thesauros terræ non cū τῷ πλάνῳ & proposito : sed ἐν τῷ βόθῳ &  
abscondito inquirunt, & quidem non θητολαίως sed ἀντιβως :  
ita quoque juxta Clementem Alexandrinum δὲ τὰς γραφὰς α-  
κεβῶς διερχοῦν, καὶ σκοτιώλης ἀρχηγώνει lib. 7. seculu.

V. Et inter alias causas vel palmaria est hæc, ob quam tam multa  
in Scriptura obscuriora paulò ac difficiliora Deus esse voluit:  
Nempe ut eo modo nostram diligentiam exciaret in ea legendaria,  
& meditanda.

VI. Quippe quæ perfectissimè omnia ad salutem nostram necessaria  
unicè habeat & contineat Joh. 20. 31. Nihil enim adhuc quicquam, quod  
ōī αὐτῷ εἰς καὶ σήμερον istam voluerunt σησθεῖν NORMAM, in-  
venimus est unquam, quod non plenissimè ex ea fuisset decisum.  
Id quod vel inde patere potest, quod Apostoli, immò Christus  
Ipse controversia mota mox ad sacram Scripturam provocarint.

Matth. 4. 7. 19. 4. 22. 20. Act. 2. 25.

VII. Quos cùm sequamur ὄδηγος præeuntes, & præsentem  
quoque σύρραξιν ad divinam litteraram appendamus, quis est qui  
virtus nobis vertat, aut ob id intendat item?

A 2

VIII. Ne

VIII. Ne autem hoc fiat à me. I. Terminos ac ēr ὡραία explicabimus. II. Statum controversiae ritè formabimus. III. Evangelicorum ὁράσιων propugnabimus. Et demum IV. Jesuitarum κακοδοξιῶν impugnabimus.

Votum.

Tu DEUS arborei radiantia sidera cœli  
qui regis, & captum tu rege CHRISTE meum.

MEMBRUM PRIMUM.

*τερματικα. R*ecordor jam istius effati Aristotelici, quod habet lib. 1. de cœ-  
terminorum. loc. n. t. u. & lib. 6. Top. c. 2. §. 3. πᾶν (inquit) πολλαχῶς λεγό-  
μενον αὐτεθέση. Nam cùm natura vocis requirat, ut audita vel lecta  
certum & distinctum aliquid menti repræsentet, ambigua verò id  
præstare nequeat, vix significativa vocis titulum meretur. 3. Me-  
taph. c. 4. Igitur erit necessitatis prius τὰ πολλαχῶς λεγόμενα διε-  
λεῖ monente eodem i. Top. 1. c. 18.

*Quid hic per X.* Primò itaque nihil aliud intellectum volumus per Spiritum  
Spiritum S. Sanctum in sacrâ Scriptura loquentem, quam tertiam Trinitatis personam,  
intelligendū? verum illum Sacrae scripturæ, religionis & fidei autorem, proin-  
deq; summum Ecclesiæ Doctorem.

*Quid per XI.* Deinde per Scripturam sacram intelligimus canoniam istam à  
Prophetis, Evangelistis & Apostolis immediato Spiritus S. adfla-  
tu perscriptam. Et non tam formale, id est, characteres externos,  
Scripturam? quam materiale seu res ipsas, quod in primis contra Suitam Coste-  
rum notandum mirè hacce ac miserè confundentem in Enchirid.  
de sac. Script. p. 53.

*XII.* Chrysostomus Hom. 13. in 2. Chor. eam vocat ἀπάρτων ἀνερ-  
βηγόν, καὶ γνώμονα ἄγανθον, exquisitam omnium rerum tru-  
tinam & normam & regulam. Κάροντα εὐθέος, καὶ γνώμονα αἰλη-  
θείας canonem recti, normamq; veri Basilius.

*XIII.* Tertiò venit evolvendus Iudicis terminus. Siquidem is unus  
ex eorum est censu, queis dudum Lycéum στοφῶν nomen dedit,  
αἱ φύσεις τελεῖς εἰναι τελεῖς μιαν δέχενται τελεῖς μιαν Φύσιν, bene etiam  
id momento Dn. D. Egidio Hunnius p. m. in Coll. Ratiph. sess. 9, p. 198.  
Modò enim in principali, mox in secundariâ, jam in insimâ significatione  
multi accommodatur, quæ tamen ad unum principale referuntur.

*Quid per XIV.* Sum-

XIV. Summum autem jus interpretandi scripturam, fideique *Judicium* pō-  
controversias dijudicandi (quod nonnulli *judicium potestatis*, *ICTI testatis*.  
*judicium autoritativum* vocant) est penes solum Deum Spiritum.  
S. à quō Φερόμενοι ἐλάλησαν ὁ ἄγιος, Ἰεζαῦθρωπος 2. Pet. 1. 21.  
2. Tim. 3. 16.

XV. Non tamen exclusa persona Patris & *Christi*, cūm omnia  
Trinitatis opera ad extra (quæ extra D e i essentiam in creaturas  
egrediuntur) sunt indivisa (id est,) singulis personis communia  
*Iust. tom. 8, Ienens. de ultim. verb. David p 164.*

XVI. Cūm verò summus iste *Judex* non nisi ἐμμέσως, nempe  
per Scripturam sacram sententiam decisivam proferat, etenus  
quoque sed in secundaria significazione *Scriptura hæc Sacra* est &  
dicitur quoque *Judex* controversialium. Dicitur à quibusdam etiam  
summus *Judex*, & verè, quia est vox seu sententia summi *Judicis*  
nobiscum in *Scripturâ S. loquentis*. Dicitur & *NORMA respectu* *Quâ ratione*  
hominum, quippe qui secundum eam de fidei quæstionibus de-  
bent judicare. *Chemnit. part. i exam. Concil. Trid. p. 6. 10. 11. 24. 25. 109.*

XVII. Cæterum cum *JUDICIUM* *Scripturæ* de singulis quæ-  
stionibus controversialis, non caivis statim sit obvium, idèo *Spiri-*  
*tus S. utitur Ecclesia, ejusq; membris, Doctoribus nempe & au-*  
*ditoribus, debito tamen ordine, quod *judicium Confessionis* seu te-* *etia summus*  
*dicatur Iu-*  
*dex?*

XVIII. Penes Doctores est *Judicium* *ωρΦητικὸν* & interpre-  
tationis. Quippe horum proprium est munus, non modò sanam  
proponere doctrinam, sed & aliorum dogmata dijudicare. *Δο-*  
*κτιναστικὸν* auditóribus commune est Christianis omnibus. Qui  
tamen omnes *Judicis* tantum subordinati subdelegative nomen  
fortiuntur, imprimis cūm etenus tantum eorum *judicium* ad-  
mittatur, quatenus cum S. Scip. Norma congruit, quatenus ve-  
rò cūm ea pugnat, rejiciatur *Zeæm. q. 6. de Scrip. Sc. th. 21.*

XIX. Pro coronide hujus *μηματος* observandum est nos heīc Quid per con-  
per controversialis fidei & religionis Christianæ non velle affectum animi si troverias fi-  
re devotionem, multò minus superstitionem monachorum, qui, ut regulis dei intelliga-  
suis auctoritatem conciliarent nomen generale & sanctum tribu- tur?  
erē sunt soliti. Sed Religio hoc loco doctrinam & fidem Christianam omni-  
bus fidelibus communue significat, teste Rungio p. m. lib. de Iud. Cont. c. 2. p. 21.

**Controversie XX.** Et cum de ea duplices moveantur controversiae, quarum  
fidei duplices. aliae sunt Res fidei, hoc est, directe concernunt ea quae sunt fidei; aliae  
sunt Res questionis, hoc est, quae sunt circa fidem, ipsumque fidei do-  
gma non convellunt, sciendum quod de Iesu non vero de his in  
hac etate proprius agatur. Id. ib. c. 4. p. 10.

## MEMBRUM II.

### Status Controversiae.

**XXI.** Ut ζητήματα hujus nodum paulo intricatiorem felici-  
us extricemus. primo omnium άγιος excutienda sunt τὰ α-  
ναυματικά & τὰ αὐτοπιστήματα.

**XXII.** Αναυματικά & extra omnem sunt controversiam.  
τὸ μὴ ζητά. i. Judicium τελεοφηνόν & interpretationis non esse commune o-  
mnibus fidem christi profitentibus. Fatalem enim ipsi id tantum  
iis compete, qui divinitus ita Spiritu Sancto sunt illustrati, ut sin-  
gular. & Φραστεων & verborum emphasis partim ex cognitione  
linguarum originalium, partim ex adsidua collatione scriptura-  
rum investigare queant.

**XXIII.** Neque II. hoc queritur: An interpretatio Scripturæ  
uniuersiusque; judicio & arbitrio sit relinquenda? Affirmamus enim  
όμοδυμαδὸν & credimus scripturam non esse idias ἀπίλυσθες  
2. Pet. 1. 20.

**XXIV.** Sed hoc potissimum αὐτοπιστήματον est, & totius con-  
troversiae cardo vertiur in eō: An Spiritus sanctus in Scripturā sacrā  
loquens sit supremus controversiarum fidei & religionis Christianæ Iudex.  
an vero Papa Romanus in Ecclesiā Conciliū vè definiens?

[ Ecclesia à Pontificiis exprimitur, ecclatatus Pontifex intelligi-  
tur uti prolixè satis monstrat Guil. Vitthaker. contra Stapleto-  
num tom. 2. oper. Theol. l. 3. de autor. sac. Scrip. p. 443. & seqq.  
edit. Genev. ]

**XXV.** Prius adfirmant γνησίως καὶ ὁ λοψύχως Aug. Confess. ad-  
dicti, posterius Ἰωάννης οὐνοῦ Διαφοράτειν volunt Pontificii.

**XXVI.** Bellarminus lib. 3. c. 3. de verb. Dei Col. i. ubi hanc aggreditur  
controversiam, dicit gravissimam hanc esse questionem & ex ei quae  
dependere omnes controversias: Planum vero esse Scripturam Iudicem non  
esse, quia varius sensus recipit, nec potest ipsa dicere quis sit verus sensus. cap.  
9. col. 2.

27. Idem

τὸ κατιθέ-  
με-  
νον.

**XXVII.** Idem cotnu sufflans Eckius, male, inquit, heretici nolunt alium Iudicem, quam Scripturam. In V. T. lex non fuit judex, sed summus sacerdos.

**XXVIII.** Quin immò nota adhuc sunt blasphema Gretseri verba, quæ impudico ore, clamore (ut solent Suitar. pleriq;) stentoreo in Colloquio Ratisponensi temerè effutiit, à blasphemō Genio edocitus; sumus, (inquit) hic in conspectu sacrae Scripturae & Spiritus sancti pronunciet ergo sententiam si judex est, & si dicat: Tu Iacobe Gretsere, male sentis, cecidisti causā tuā: Tu Iacobe Heilbrunnere, viciſte: tunc ego statim transibo ad vestrum scannum. Adsit, adsit, adsit, & condemnet me. Vid. Coll. Ratis. sess. 9. p. 208. edit. Lubec.

**XXIX.** Greg. de Valent. l. 5. Anal. c. 2. Scriptura sacra omnium fidei controversiarum judex sufficiens esse non potest. Idem dicunt & docent Tanner. disp. 1. in summ. Thom. th. 69. & imprimis th. 90. inquit: Est igitur etiamnum in terris aliquis fidei judex, & ille ipse est, quis quis Petri successor est. Ecquis ille: Rumpantur sectarij, Pontifex Romanus est Hos. contra Brent. l. 3. de autor. script. p. 538. Idem proloquuntur & Pontificij in Colloq. VVormatiensi. nāv̄a j̄d uia nōvis.

## MEMBRUM III.

### Sententiae Evangelicorum Confirmatio.

**XXX.** Statu controversiæ rite jam exposito, orthodoxæ nostræ <sup>Kaſton & a-</sup> sententiae confirmationem sequentibus iisque invictis robora- <sup>sinov.</sup> mus momentis ac munimentis.

**XXXI.** Primum desumimus à requisitis supremi Iudicis, quorum <sup>κοινῶς</sup> quinque numerantur. 1. Ut nullo partium studio ducatur, & ab omni περιποληψίᾳ sit alienissimus. 2. Ut suā auctoritate compellere potisit litigantes, ut in conscientia convicti sententiam & decisionem agnoscant & admittant. 3. Ut non possit errare, ac proinde in ejus sententia litigantes citra omnem hæsitationem acquiescere tutò possint. 4. Ut ipmet non sit pars controversiæ. 5. Ut ab ejus sententia nemini ad superiorem Judicem provocare liceat.

**XXXII.** Cuicunque igitur soli hæc comperunt requisita, ille solus est supremus controversiarum Judex. Atqui requisita hæc compre-

i. A requisitis  
supremi Iudi-  
cis.

competunt soli Spiritui Sancto per Sac. scripturam nobis sum lo-  
quenti; non verò Papæ Romano? ἐνδηλον, E. & solus supremus  
controversiarum Theolog. Judex.

XXXIII. Edifferant enim si viri sunt, Jesuitæ, quomodo certi  
esse possimus, Papam non errare, cumque summam habere au-  
toritatem. Ex Scripturâ inquiunt, & quidem Luc. 23. 32. Rogavi pro  
te Petre, ne deficiat fides tua. Sed quæro iterum quis judicabit de di-  
cti hujus sensu; quis enim augurabitur de Papaloqui Lucam, cùm  
Petri solùm faciat mentionem? Respondebunt isti pro idole Tarpejo,  
Papâ. Sed eundem de quo controversia, controversiam judicare  
debere, quis non videt esse iniquissimum?

XXXIV. Quis enim hanc legitimam expositionem agnoscat,  
quia Papa dicit, sibi promissum esse hoc loco, ut nunquam erraret?  
Imò verò opus est ut majori autoritate & testimonio evincat esse  
hoc sibi promissum, quam sua voce. Quid? quod ipsi Pontificij  
non eunt inficias, Papam non errare modò, sed & hereticum  
esse posse: atque ita propria cœdunt vineta. Taceo Papas esse  
homines, omnis autem homo mendax Rom. 3. 4. Quomodo ergo in ea  
jus sententia acquiescam, palliet etiam quibuscumque velit?

XXXV. II. A Conditâ Lege. Qui solus legè condidit, ille solus sum-  
mam aut oritatē habet eā interpretandi. At Deus Sp. S. (Papæ par-  
sum est) solus Script. condidit. E. solus interpretandi scripturâ au-  
toritatē summam habet. Major sua luce lucet, ut forinsecus ac-  
cedente non indigeat. Patet quoque minor. Siquidem Aposto-  
li omnes suam doctrinam ex Legis divinæ autoritate, hoc est, ex  
V. T. confirmarunt. Sic Nehemias Legi Dei dabat intelligenti-  
am per scripturam ipsam cap. 8. 9. Ita enim Tertullianus illum-  
locum vertit.

XXXVI. III. A generatione fidei. Quod solùm habet vim ad fi-  
dem generandam, illud solum habet summam autoritatē in-  
terpretandi scripturas, & omnes de fide ac religione controver-  
sias definiendi ac dijudicandi. Ast solus Spiritus S. in sacra Scri-  
ptura loquens hanc vim habet. E. Major est manifesta. Nam fides  
ex auditu nascitur. Rom. 10. 17. hoc est, ex sensu S. Scripturæ rectè  
percepto: Sensus verò Scripturæ ex sola Script. S. & Spiritu S.  
petendus est, Minor itidem clara. Solus necepe Spiritus S. potest  
fidem

2. A Lege  
condita.

3. A genera-  
tione fidei.

fidem salutiferam in corda nostra infundere, quae proinde à Scho. Fides salvistica infusa fides appellatur. Quod cum Papa praestare nequeat fida à Scholasticis vocatur.

**XXXVII.** IV. A remissione hominum ad scripturam. Vera, certa ac Infusa. sola religionis & cultus norma est, ad quam solam Spiritus S. dicitur. A remissionibus homines remittit & adstringit: sed ad solam sacram Scripturam ne hominum eos omnes remittit, nusquam ad Papam Romanum, E. Major est ad scripturam. certa. Ipse enim in omnem ducit veritatem Ioh. 16.13.15. Minor probatur Es. 8.20. Ioh. 5.39. Act. 17.11. scrutantur scripturas Berthoenses, DEUS Pater præcipit audire suum filium Matth. 17.5.

**XXXIX.** V. A prohibitione additionis & detractionis. In fidei, rebus &c. A prohibitione religionis & cultuum rebus id tantum, quod nec additionem nec one additionis detractionem patitur, non solum pro norma est agnoscendum, sed & detractionem etiam judicis partes rectissime sustinet Exod. 25.10. At Scriptura sacra quæ est vox Spiritus sancti negat additionem nec detractionem patitur Deut. 12.32. c. 6.32. c. 4. 1. Proverb. 30.6. Ezech. 20.18. E. non solum pro norma est agnoscenda, sed etiam Judicis partes rectissime sustinet. Ita ut suo iudicio ceu forex se prodat Papa summum iudicium ad se non spectare, dum præter Scripturam traditiones quoque admittit, & ceu summe necessarias ad salutem urget turgens,

**XXXIX.** Sterilem igitur fundum coluit Gretserus exceptiunculam suam, quam in Colloquio Ratisponensi eructavit, quod nimis rursum non teneamus quicquam admittere, si per illud PRÆTER intelligatur contra legem, si vero aliquid extra, utique teneamus audiare & admittere. Deus enim solus est Dominus doctrinæ religionis & cultus, ita ut quocunque additur ab hominibus Verbo scripto, vel tanquam divinum dogma, vel tanquam articulus fidei, seu tanquam Dei cultus, bona etiam intentione, meritò ceu prohibitioni divinæ repugnans, verboq; Dei contrarium repudiandum sit. Exemplo sint Israelitæ, qui bona intentione sine mandato DEI quatuor jezuia instituunt Ier. 25. sed graviter propterea reprehenduntur Zach. 7.5.6.

**XL.** VI. A norma secundum quam errores judicantur. Secundum 6. A norma. quod quando inceditur, nullus potest committi error, quando vero receditur, graviter erratur id solum & unicum fidei in norma

esse debet. At quando secundum sacram Scripturam seu vocem  
Spiritus S. inceditur; non erratur *Psalm. 119. 105. Gal. 6. 16.* Ab hac ve-  
rō quando receditur, erratur, quacunque etiam intentione bo-  
nā id fiat, ut ostendant exempla *Gedeonis Iudic. 8. 27. Matris Michæl.*  
*17. 33. Ierobeami I. Reg. 12. 28.* E. Scriptura S. in qua Spiritus S. loqui-  
tur, est unica & sola, in religionis & cultuum negotio, norma. Pa-  
7. Ab absurdo. Nam ad sylvestres interea relegamus capras.

XLI. VII. Ab absurdo. Si Papa sit summus Judex Controver-  
siarum, & Interpres Scripturarum, tum quævis definitio Papæ est  
tam authentica quam Scripturæ. Connexi ratio manifesta est:  
sed consequens aperte falsum. Nā tum definitiones omnes Ponti-  
ficum haberent æqualem autoritatem cum scripturis. & in sa-  
cram Scripturæ canonem referendæ essent, & multò diligentius  
perscrutandæ, quam Scripturæ: quæ omnia vehementer absurdâ  
sunt. Plura vide apud *V. Vitthak.* tom. i. Oper. q. 5, de interp. Sc. p. m.  
357. & seqq.

## MEMBRUM IV.

### Opinionis Jesuitarum Confutatio.

XLII. Plurimi Jesitarum multis & magnis verborum lenoci-  
nijs suam in hac controversiâ agunt caussam. Ideoque solum  
Bellarmini inseuemur vestigia, tum quod aliorum fermè prin-  
ceps, hodieq; in plerorumque est manibus: tum quod agrumen-  
ta præcipua brevius contraxit.

XLIII. Quemadmodū v. in eodē prato bos herbam quærerit, canis  
leporē, ciconia lacertam: ita ex eod. loco firmatur à verè Catholi-  
co veritas, quā in sensu suo nimium abundans infirmat quassatq;  
Cacolicus. Hoc ipsum jam in Bellarmino quoque experimur,  
qui cùm lib. 3. de verb. DEI interp. hanc controversiam aggressurus  
tractat, pleno quoque ore cap. 4. & 5. crepat sacram Scripturam,  
quā suam palliare sed frustrā conatur caussam, reliquis à praxi  
Ecclesiæ & ratione petitis argumentis.

Bellarmin. 1. XLIV. Ab initio ponit dicta Testamenti V. quæ eodem, quo ipse po-  
nit ordine, penitus introspiciamus præmium erit opera. Pri-  
tius ad dicitur tum legitur *Exod. 18. 13. & 26.* & exinde ita colligit. *Quod fuit*  
V. T. *Moses in Ecclesia Israelitica, id est, Papa Romanus in Ecclesia Christiana*

AB

Et Moses fuit supremus controversiarum Ecclesiasticarum Index in Ecclesia Israelitica. Resp. est ἡ θεογνωσίς τοῦ ἐπομένου. Moses enim 1. fuit immediate à Deo vocatus. 2. Propheta immediate à Deo missus. 3. Officio functus extraordinario. 4. Politicus etiam fuit Princeps. 5. non autem Pontifex summus, qui erat Aaron. 6. omnia ex præscripto Verbi Dei prolocutus, nihil pro arbitrio suo contra Verbum Dei addidit. Hæc omnia, si ad Papam conferas, a προφετούσιν.

**XLV. 2.** Deut 17, 8. 9. 10. Exinde pro Papâ idem concludit ab exemplo Mosis. Sed Resp. Idem hic occurrit ἡ λεγχ@. Negant autem cōsequentiam Logici, quando est dissimilitudo in Exemplis, 2. accedit ἡ λεγχ@ πρὸς πηκή, απλῶς, quia præceptum illud fuit cōditionale, ut ὁ Φαλμοφανερῶς apparet ex textu v. 11. 3. tantum ibi agitur de rebus politicis seu forensibus & ceremonialibus ac Leviticis, nihil verò quicquam (quod tamen exinde colligere conatur Bellarmi-  
nus) de fidei controversiis, ut id Grawerus demonstrat cont. Co-  
storum in disp. anti Jesuit. i. th. 32. illorum adhuc contradicente ne-  
mine, 4. Non de Sacerdote summo, sed de aliis quoque, imo &  
de judice Politico agit. 5. Tantam autoritatem judici, quantum  
Sacerdoti tribuit. Nam in versione Latina offendimus particulam  
**Ex**, ast minus commodè. Fontes purius fluunt, ceu videre est ex  
συνεπείᾳ textus. Nam particula ΙΝ aut significat, vel seū, nunquam  
verò ex, quod etiam Jesuita Cajetanus agnoscit, cui quid respon-  
dendam sit, videat Bellarminus.

[Cajetani verba hæc sunt: Interpres mutavit: nam Hebraicē habetur,  
vel judici. Disjunctivē enim dicitur, non obediendo Sacerdoti vel Iudi-  
ci. Et paulo post: Par pœna decernitur opposenti se Sacerdoti vel Iu-  
dici. super h. l. Deut.]

**XLVII. 3.** Ecclesiast. 12. 11. Leguntur hæc verba: Verba sapientum sicut  
stimuli & quasi clavi in altum defixi quæ per Magistrorum consilium data  
sunt à pastore uno. Huamplius, filii mi, ne requiras &c. Hinc tale necit  
argumentum: si hæc de Sacerdote V. T. dicuntur, quanto magis dici pos-  
sunt de Sacerdote N. T. qui majores à DEO promissiones accepit. Resp. 1.  
Turpiter fallit eodem ἡ λεγχω ἐπομένου, dum sit saltus à Sa-  
cerdote V. T. ad Sacerdotem Novi Testamenti, siquidem multa  
fecit Sacerdos V. T. quæ tamen nec possunt nec debent Sacerdo-  
tes Nov. Test. 2. Versionem & hic deprehendimus corruptam.

cum verba (quae per Magistrorum consilia data sunt) in Latinam si-  
Quid per Pa- mul infarta codex Hebraeus non agnoscat 3. accedit ἄγνοια τῷ ἐ-  
storem unum λέγεται. Locus enim hic à variis redditur variè. Per unum Pastorem  
intelligendū Hieronymus intelligit DEUM. Hunnius p. m. Ecclesiasten. Vata-  
sit diversum blus Spiritum S. Merecerus Christum. Nullus & nemo Papam. 4.  
diversi senti immò Ecclesiastes hic non loquitur de Scriptura interpretatione, sed  
unt. de eis origine. εἶπεν ὁ Ιησος σπίρτου

XLVII. 4. Locis ex Hag. 2. 12. & Mal. 2. 7, quæ extra oleas vagi-  
tare, nihil Suita quicquam obtinebit. 1. In priori Sacerdotum fit me-  
tio non Sacerdotis unius. 2. Occurrit in posteriori ελέγχῳ τῷ τὸ  
Χῆρᾳ τῆς λέξεως. Est enim præceptum in his verbis (sunt Sacerdotes  
semper Iesu modi) non promissum. A præcepto autem ad posse N. C. 3. Præ-  
ceptum illud est de Sacerdotum officio, quale debeat esse.

XLVIII. 5. Lib. 2. Paral. 19. II. ita jacent verba: Amarias autem  
Sacerdos & Pontifex vester, in his, quæ ad DELLIM pertinent, præsidebit,  
• Resp. 1. Manifesta hic occurrit πολυζήτησις, & Status contro-  
versia mutatur. Quæstio enim non erat an officia civilia & Eccle-  
siastica sint distinguenda? Sed queritur inter nos, an talis sit constitu-  
endus Iudex in Ecclesia, penes quem summa esset autoritas definiendi con-  
troversias fidei? Illud ambabus, quod dicitur, largimur manibus,  
& scimus ipsi Régum & Sacerdotum officium confundi haut-  
quaquam debere.

2. A dictis  
N. I. XLIX. Dictis V. T. allatis dicta N. aggreditur, & illud Matt. 16. 19. cœlum  
Pontificiorum acropolin mox primo loco ponit. Argumentū tale est: Cui-  
cunque Christo sunt datae claves regni cœlorū, is est supremus judex contro-  
versiarum fidei. Petro & ejus successori Papæ Romano à Christo datae  
sunt claves. E Majorem probat. Quia, inquit, per istas claves non  
solum intelligitur potestas solvendi a peccatis, sed etiam ab omnibus aliis  
vinculis & impedimentis, quæ nisi tolluntur, non potest intrari in regnum  
cœlorum; siquidem promissio generalis est, nec dicitur: quemcunque solve-  
ris sed quocunque solveris, ut intelligamus nodos omnes &c. à Petro ejusq;  
successoribus solvi posse.

L. Resp. 1. Committitur τῷ αὐλούσιο μοῖρᾳ τῆς ὅμωνυμίας. Vocabu-  
lum enim Clavium non (ut vult Iesuita) significat potestatem interpre-  
Vox clavium tandi sac. Scripturam sed autoritatem ministerij Ecclesiastici: 2. Ista  
ambigua. potestas non soli Petro, sed & reliquis Apostolis commissa legi-

tur Matt. 28. 18. 19. Joh. 20. 21. 23. antea solum Matth. 16. premissa.

3. A Petro ineptissime argumentatur ad Papam. Petrus enim 1. fuit Apostolus. 2. immediate vocatus. 3. Miraculis clarus. Quae omnia si cum Papa velis conferre, γαλῆ κρητῶν addere videberis. L.I. 2. Matth., 18. 17. Qui non audierit Ecclesiam, sit tibi sicut Ethnicus. Hinc colligit Bellarminus Pastorum esse judicium supremum. Resp. ἀποδιούσως planè colligit. Textus enim loquitur 1. de fraternâ correctione, quam qui faciunt nihili, ad Ecclesiam remittendi sunt. Quod si quoque Ecclesiam audire nolint ( per Ecclesiam in totum intelligitur corpus fidelium ) tum illi sunt excommunicandi. 2. Concedimus labenissimè Ecclesiam audiendam esse, Per Ecclesiam sed hoc addito ἀποδιοερτμῷ duplicit. si constet veram esse totum notarium Ecclesiam. 2. si non ex suo pronunciet cerebrō, sed ex divini verbi præscriptō.

LII. 3. Matth. 23. 2. 3. super cathedram Mosis sederunt Scribæ & Pharisei. Ex hoc dicto sequi putat Bellarminus Pontificem quoque Romanum in cathedrā Mosis sedentem suaq; pronuntiantem dogmata debere audiri. Sed Resp. esse ἐλεγχον Φρέσεως. In cathedrā enim Mosis sedere, est in cathedrā ordinariam in populo DEI provinciam sustinere, & legem Mosis ex Mose & Mosis sedere Prophetis interpretari. Qui enim Mosen non docet, etiam si in ordinaria sit vocatione, non tamen in cathedra Mosis sedere existit. mandus est. Dum enim Scribæ & Pharisei legem Mosis ex Mose & Prophetis interpretabantur, audiendi fuerunt, à Mosis autem cathedra digressos minimè audiendos esse Christus præcepit.

Matth. 5. 6. & 7. capp.

LIII. 4. Ioh. 21. 16. inquit Christus: Simon Petre pascere oves meas. Ex quibus verbis talem necit nodum: Petrus & successor ejus Papa Romanus à Christo jubetur pascere doctrinā omnes Christianos. E. summus est judex controversiarum. Resp. 1. κατ' ἄρνησιν Majoris, quæ si addatur, falsa est; illum nempe summum esse judicem controversiarum qui à Christo jubetur pascere doctrina omnes Christianos. ter usurpatum facit Jesuita in minore in vocabulo Pascendi, quod usurpatur, quando patitur vel propriæ, & significat alere, vel metaphorice & significat pro Ecclesiastico, videre, curare, atq; in hac significatione aliter usurpatur in statu politico, aliter quando alicet in Ecclesiastico: In illo significat regnare, & curam subdito do Politico gerere, ut 2. Sam. 5. 2. 6. 7. 7. Apoc. 19. 15. In hoc significat docestatui tribuire, Sa-

re, Sacra menta administrare, & alias Ministerij partes curare. Id-  
eoq; quando juberetur Petrus à Christo pascere oves, illi non sum-  
ma demandatur potestas & autoritas decidendi controversias, i  
sed ministerium (quod cum eo reliqui Apostoli habuerunt com-  
mune) Ecclesiasticum commendatur. 3. A Petro ad Papam ar-  
gumentari est à baculo ad angulum. Nullus siquidem Episcopus  
post Apostolos, quantus quantus etiam fuerit, ubiq; docendi po-  
testatem habuit, nedum constituendi dogma aut decernendi au-  
toritatem.

LIV. 2. Luc. 22.32. Sed ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua, Christus i-  
dem dicit ad Petrum, unde concludit Bellarminus hoc modo:  
Romanus Pontifex errare nequit docens ex cathedrâ. E. debet esse summus  
judex. Resp. 1. ad antecedens. Et hunc locum ineptissimè accom-  
modari ad Papam, imprimis cùm de solo loquatur Petro, pro quô  
singulariter oravit Christus, paulò post graviter lapsuro. 2. Non  
negamus ad omnes quoque fideles & sic quoque ad Apostolos a-  
lios applicari posse. 3. Si quoque Christus pro Papâ hic orasset,  
sequeretur se suâ petitione fuisse frustratum. Quandoquidem in  
ipsâ controversiarum decisione multi Papæ errarunt: ut pro no-  
bis loquitur Alfonius lib. 1. cont. hæref. c. 1.

LV. 6. Act. 15. 6. 7. Legimus cùm orta esset quæstio gravis de fi-  
de, an servanda esset lex Moses à gentibus conversis, non fuisse  
remissos unumquemque ad suum Spiritum, sed ad consilium Hi-  
erosolymæ habitum, cui Petrus præterat, & Petrum omnium  
primum in Concilio loquutum, dein Jacobum sententiam Petri  
confirmasse, & sic quæstionem solutam illis verbis: Vizum est  
Spiritui sancto & nobis. Hinc concludit Bellarminus: Spiritum s. sem-  
per interesse illi Concilio, cui Petrus & successores Petri præsunt.

LVI. Resp. 1. Neminem remittimus de realiqa dubitante ad  
privatum suum Spiritum, quod per calumniam nobis adfingit  
Bellarminus; sed potius ad Spiritum s. in Scripturâ publicè lo-  
quentem, quem omnino audiendum esse asserimus. 2. maxima  
est diversitas Concilij istius Apostolici, & hodiernorum à Papâ  
conscriptorum conciliabulorum. 3. Negatur Petrum suam ex-  
posuisse sententiam, contradicit enim textus, qui expressè dicit  
Petrum

Petrum demum surrexisse πολλῆς γερουτενῆς οἰχημάτως v. 7.

LVII. 9. Gal. 2. 2 Ex hoc loco ita argumentatur: Petrus fuit summus Iudex de doctrinā fidei: Petrus fuit Pontifex Romanus. E. Majorēm probat: Petrus confirmavit Evangelium Pauli, uti Paulus ipse Gal. 2:2, & Tertull. Hieron. & August. confirmant. E. Petrus fuit summus iudex in rebus fidei & per consequens ejus quoque nunc successor. Resp. 1. κατ' ἀγνῶν majoris. Ad ejus verò probationem dico, committi in ea ὁ δόλογος μονὸς ὁ δρός τὸ αἴτιον τὴν αἴτιον. Non enim statim sequitur Petrum esse judicem, etiam si Pauli Evangelium (quod tamen ex textu non colligitur) confirmasset. Confirmant namque alii aliorum doctrinam & sententiam aut communis suffragio ut College, aut consensu singulari ut fratres, aut autoritate summā ut Princeps. Ultimo modo qui doctrinam aliorum confirmat, Doctrina cu- verè is dicendus est summus iudex. 2. Paulus disertè ait se su- jusdam ab a- um contulisse Evangelium στοιχεῖον δοκήσαι. E. non cum solo Petro. lio confirmari 3. Patres à Bellarmino allegati ὡς τῆς ἐξοχῆς & præminentia potest πολυ- Petri ne gry quidem in confirmingo Evangelio Pauli habent, τρέπωνται.

LIX. 8. 1. Chor. 12. 8. 9. Alij datur per Spiritum sermo sapientiae, a- lij sermo scientiae, alijs interpretatio sermonum, alijs prophetiae &c Ex hoc loco probat Bellarminus non omnibus dari spiritum interpretationis, ac proinde non esse cuiusvis interpretari scripturas. Resp. 1. Adversarium heīc pugnare absque adversario, 2. Attendenda est particula interpretationis, qua nobis imponere conatur Jesuita Interpretatio per hononymiam. Distinguendum enim est inter interpretationem publicam & nem publicam & privatam. Hanc omnibus piis à Spiritu S. edoctis privata concedimus, illam nequaquam.

LIX. 9. 1. Ioh 4. 1. Ex hoc loco concludit Spiritum privatum iudi- dicem esse non posse. Resp. Est εὐροια τὸ ἐλέγχος. Quæstio enim non est: An Spiritus privatus fit iudex, quod nemo Evangelico- rum adserit vel statuit. Sed: An Papa Romanus cum consilio suo fit ju- dex supremus controversiarum religionis; quod adfirmant Pontificij & magnō sed irrito conatu propugnant. Nos nullum publicum iudicem- cognoscimus alium, quam Spiritum S. in suo verbō loquentem.

LX. Cate-

3. A decisione LX. Ceterum cū Bellarmīnus ipse vidit se malam soverē  
Pontificum causam, & dictis istis Biblicis non satis id, quod intenderat, expe-  
& autorita- ditum dare posse, Pontificum addit decisiones, Patrumq; autoritates  
te Patrum. magno numero cumulat, & queis alijs supersedere potuisset, si dicta sa-  
tis firma fuissent, pro sua adstruenda sententia, rationes multas.

LXI. Sed Resp. nos Pontificum decisiones, Conciliorum de-  
creta & SS. Patrum explicaciones meritò accipere & adprobare,  
si cum Scriptura sacra consentiant: ubi verò dissentiant, rejici-  
cimus. Spiritus enim Sancti doctrina est, quæ Canonis est prodita liti-  
ris, contra quam si quid statuant Concilia nefas duxo inquit Hierony-  
mus. Et Basilius Conciliorum est tantum, (inquit) τὰ δευτέρα λέγειν  
hoc est, repetere ea, quæ verbo DEI sunt tradita.

LXII. Quin imò e Patribus peti possunt ac debent non articulorum su-  
dei constituendorum principia; sed illorum ex Scripturæ principiis jam con-  
stitutorum saltem suffragia. Multa nempe inveniuntur in illo-  
rum commentarijs, quæ salvâ honorificentia repudiari possunt  
August. Epist. m. Taceo quod Pontifices Romani, etiam in iis, quæ  
ad fidem spectant, errare possint, ut suprà th. 54. ex Alphon. de Ca-  
stro monuimus

4. A ratione. LXIII. Tandem quod attinet rationes, quas adhibet, et si tanti et-  
iam momenti non sint, ut diu in iis hæreamus, attamen quia mi-  
rè sibi ijsdem videtur placere, ordine quoque sed Διάβολος  
excutiemus potissimas.

LXIV. Includit verò hoc Syllogismo trimembri: Non (inquit) igno-  
rabat DELS multas in Ecclesiâ exorituras circa fidem difficultates, debuit  
igitur judicem aliquem Ecclesia providere. At ipse judex non potest esse  
Scriptura, neque Spiritus revelans privatus, neque Princeps secularis. E.  
Princeps Ecclesiasticus, vel solus vel certe cum consilio, & consensu Coepi-  
scoporum. Non Scriptura, quia 1. varios recipit sensus, nec potest  
ipsa dicere quis sit verus. 2. in omni Reip. benè constituta & ordi-  
nata Lex & Judex distinctæ res sunt. tandem 3. de Scripturæ in-  
terpretatione quæstio est; non autem se ipsa interpretari potest.

LXV. Resp. Est insufficiens enumeratio partium. Spiritus e-  
nim S. per Scripturam S. loquens non minus controversias reli-  
gionis per Scripturam, quam Rex terrenus, per rescripta suorum  
subditorum lites politicas determinat; id quod subdolè omittit  
Jesuita.

344

Jesuita. Ad probationem vero minoris R. & quidem ad rationem primam, eam negando. Unicus n. est verus ac genuinus scripturæ sensus, Unicus est uenit uerba literalis, qui vel ex verbis propriè sumtis, vel ex verbis figura- tè intellectis, vel ex utrisque oritur: allegorice vero expositiones, non sensus, tam varii sunt sensus, quam varietantum scripturæ accommodations & applicationes.

LXVI. Deinde negamus quoque scripturam non loqui. Licet enim non loquatur ut homo, suo tamen loquitur modo. Rom. 3. 19. Paulus ait: ὅτε οὐ νόμος λέγει τοῦ νόμου λαλεῖ. Itaque Moses legi os tribuit Dent. 17. 11. & Xantes Pagnin. transtulit ex ore legis. Hebr. 12. c. 5. Obliti estis exhortationis, quæ vobis tanquam filiis algædæ loquitur. Iohann. 7. 42. nonne scriptura ergo dicit Ioh. 19. 37. alia scriptura dicit. Rom. 4. 3 ait Apo- stolus Καὶ πρὸς αὐτοὺς λέγει. Non minus igitur certò ex Scripturâ possumus veram elicere sententiam, quam si DEUS ipse vivâ voce nos alloqueretur. Qui literas amici legit, num mentem ejus non intelligit, quia literæ ipsæ non loquuntur? nemo sanus id unquam dixerit.

LXVII. In secundâ ratione probationis occurrit παραλογίων παρὰ τῷ πηγῇ ἀπὸ λόγως λεγόμενον. Siquidem eadem plane ratio legis, Iudiciorum Politici, scripturæ ejusq; interpretis non est. Comprimis quia forensis Non est casus judex pro circumstantiarum varietate mutare aliquid in suo decreto possit, & de summo jure aliquid remittere, propter proba- Iudicis Poli- bilem aliquam caussam: De sacrâ vero scripturâ tantum abest i- tici & Eccle- dem, ut adleramus, ut edicto potius gravissimô prohibeamur, si astici. Deut. 17. 11. Ef. 8. Apoc. 22. 19.

LXIX. In ratione tertia probationis Minoris fallit. Probet enim Jesuita prius scripturam seipsum interpretari non posse, & illi dabimus manus. Certum enim est, si locorum va- Quomodo ve- riorum collatio instituatur, verum sensum a quovis linguar. peri- rius scripturæ sensus inve- tō erui posse.

LXIX. Instat: sin ex collatione locor. verus Scripturæ sensus erui posset, niatur. maximē linguar. peritis; tum interpretes inter se convenirent, sed non co- veniunt: E. G. Verba Christi. Hoc est corpus meum, aliter interpretantur Verba Cœne Lutherani, aliter Zwingiani, utriq; linguar. periti, nec in explicatione aliter inter- pretantur convenire unquam potuerunt. E. Resp. Fallacia est mæg. in opus- pretantur

Lutherani, a- p̄sonis. Vitiū namque hominū scripturæ adscribendum  
liter Zwingli non est.  
glanti.

LXX. Oggānit: At Zwingli, dicet Lutheranus, ex cœcatis sunt, pro-  
inde nihil mirum, si clarissima Domini verba non intelligant, sed quid  
si Zwinglianus Lutheranos ex cœcatos dicat, quis erit iudex? Resp. Ida-  
ipsum in hac controversia damus probatum. quod iudex is sit  
Spiritus Sanctus in Scriptura loquens. Λευκὴ Φωνή.

LXXI. Alterum membris, quod non Spiritus revelans privatus (ut  
Suita loquitur) esse possit iudex, ita probat: Spiritus privatus non potest ri-  
deri & audiri ab utraque parte litigante. E. Resp. Ludit Suita  
σπουργία in voce Spiritus, eaque nostræ cogitar illudere senten-  
tia. Aut enim intelligit Spiritum Enthusiasticum, & nos tunc  
non habet adversarios. Aut intelligit Spiritum in Scriptura  
loquentem, & tunc abundè cuius Spiritus sit filius monstrat. 2.  
Major quoque sin addatur manifestè falsa est, cum in Politico  
quoque statu semper necessarium non sit, ut supremus Jūdex  
v.g. Imperator, Rex aut Princeps partibus litigantibus in persona  
ad sit.

LXXII. Ast regerit Scripturam non habere autoritatem coactivam  
quam tamen deberet habere summus Iudex. E. Resp. Idem ἐλεγχό-  
occurrit ὡμονοίᾳ, in termino Coactionis. Alia namque est exter-  
Coactio alia  
na, alia interna. Scriptura quidem non cogit externè, vi aliqua  
externa, alia externa, internè tamen persuadet & mētem quasi cogit, ut adsenti-  
internā. atur. Papa Romanus vi quidem externa cogere potest, h.e., metu  
cohercere & morte mulctare: sed cogere, ut quis Scripturæ adsen-  
sum præbeat tanquam voci D e i, id ei impossibile.

LXXIII. Tertium & ultimum probationis membrum ex ratione deduc-  
tum; quo negat Principem secularem quoq; non esse judicem; aliquot  
stabilire conatur fulcris, sed frustrā. Vel enim fallunt Ignoratione  
Elenchi, vel equivocatione in vocabulo Iudicis. Debebat enim proba-  
re Principem secularem non esse sumnum judicem, status con-

trover-



troversia malitiosè oblitus simpliciter ille concludit. Principem  
secularem non esse judicem. Cùm verò constet alium esse sum-  
mum Judicem & Principalem, alias subdelegatos & ministeria-  
les, Concludimus; neque testimonis sacrae scripturæ, neque praxi Ecclesiæ,  
neque Patrum autoritate aut rationibus probaturum Bellarminum vel  
Iesuitas alios, summum controversiar. Theologicarum Iudicem esse

Papam Romanum. Id quod erat

-IMA M 3 P 100 S 923 R 741 D

## Deo Laus & Gloria.



VI

SPURIA  
Hinc HABIT  
MCMO S A F R  
SACRAE HISTORIE  
MONUMEN  
TATU  
HEC CPM LIBERIS: HIC  
REBUS TUTUS, TUM  
SUBSIDIO LIBERTATIS. TUM  
PROSPERITATIS. TUM  
PRO LIBERTATE LIBECOR.

ΦΩΛΙΦΑ

Corporis

*Ad Praefantiſum & Literatiſum*  
**Dn. RESPONDENTEM AMI-**  
cum meum colendum.

**N**os disputamus multa, sæpè plurima  
Quæ disputare non decet. *Cælum Solum*  
*In controvèrſiam vocatur. Ubi vocat*  
Noster Deus, nemodomi est. Tantum placent  
Subtilia. *Id quod pium est, parum probum est.*

Hinc JUDICAMVS; JUDICAMVR. JUDICEM  
Nemo SUPREMVM curat. Ipsæ litteræ  
sacræ æstimantur vix teruncij. Et quia  
non quærimus DEVVM; baut DEVVS nos invenit.  
Perversa cuncta sunt. sit ergo maxima  
hæc Christianis cura: litteras sacras  
Recte æstimare, tum supremam Judicij  
adhibere regulam invijs vijs. Pede  
facili sequentur cetera; & facilis D E V S  
in omnibus aderit. *Quod his voveo, precor.*

Am. ΦιλοΦρ.

F.

Andr. Grosbenning.

Ung. VI 23

= [Dissertationes  
theol. Vol. 59]


ULB Halle

002 386 852

3



Zeho  
UD 77



# Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Theologicum.

Z 336

# ECON- ARUM FIDEI NIS CHRISTIA- PREMO

νοῦ διπολικὸν:  
nctus in Scripturâ lo-  
Papa Romanus,  
uod  
irante gratiâ  
lémia Wittebergenſi  
RÆSIDIO  
riss. atq; Excellentissimi Viri,

ARIS MEISNERI,  
ofess. Publici, Fautoris, Præ-  
sui aternūm colendi,  
instituit  
ANDREÆ Halâ-Saxo,  
Princ. Magdenb. Alumnus,  
obr. boris matutinis,  
rio Majore.  
EBERGÆ,  
nis Gormanni,

A.D.C. XXI.

